cium, qvos ſenio confectos, volandiq; impotentes ſedulò curat, pennas vetuſtate jam languidas evellit, præterea oculos cœcutientes herba qvadam illinit, unde viribus reſumptis qvaſi rejuveneſcunt. Idem prædicatur de aliis. Sed redimus ad noſtrum propoſitum.

Μετάβασις *Tranſitio.*

Atqve ita hactenus ſatis, ut puto, fuit declaratum, qvæ ſint rationum pondera, qvibus moti filii parentibus debitum obſeqvium præſtent: *ſupereſt hoc unum*, ut vos ad obedientiam debitam adhorter.

Ἀντίθεσις, *Contentio.*

Colant Parentes ſuos omnes, qvi Deo *chari eſſe cupiunt*: *fugiant inobedientiam*, qvi Dei *odium fugiunt*: *colant* Parentes ſuos omnes, qvi *in æternum ſalvari appetunt*: *fugiant* contemptũ eorundẽ, qvi *infernales dolores effugere ſtudent*.

Ἀντιμεταβολή, *Commutatio.*

Deus injunxit *filiis*, *ut Parentes honorent, non Parentibus, ut filios honorent.*

Ἀντιστροφή, *Inverſio.*

Sunt qvidam, qvi Parentes colendos eſſe non judicant propter maximos nævos, qvibus ſæpius polluti; ſed falsò ſibi hoc illi perſvadent, *eum enim in finem nævi illorum tolerandi, ut verò honore afficiantur*,

Συνοικείωσις, *Communicatio.*

Tàm eſt in vitio, *tamq; graviter* pecat is, *qui Parentes* ultra, qvam par eſt, *ultra Deum ſcilicet, amat & diligit, quam is, qui eos deſpicit & contemnit.*

Ἀποδίωξις, *Rejectio.*

Dicendum eqvidem aliqvid eſſet de forma honoris, qvi Parentibus tribuitur, in qvo vera ratio ejuſdem conſiſteret; verùm cum hoc directè qvæſtionem & propoſitum noſtrum non attingat, *idcirco de eo alibi dicemus.*

Παραδιαστολή, *Paradiaſtole.*

Magno eqvidem honore afficiendi ſunt Parentes, *non tamen tanto*, ut illorum gratiâ vera fidei confeſſio ſit abneganda. *Amandus eſt generator, ſed præponẽdus creator.* Ambr.

Ἀνθυπο-